

JUDICIUM
JURISPRUDENTIAE
CIVILIS,

Super Quæstione illa,

An ad hoc,

A. 4.

Ut quis homicida proditorius
dicatur, & Immunitate Ecclesiastica privetur,
requiratur

QUALITAS AMICITIAE.

Quod

Deo ter Optimo Maximo Auspice,

Et

ASSENSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICA,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO
CHLINGENSPERGER

. Doctore, Professore Ordinario, & Consiliario
Electoralii.

Disputationi publicæ proposuit

ANCISCUS XAVER. JOSEPHUS
UNERTL, J. U. Candidatus.

Mense Januarij Anno M. DC. LCVII.

INGOLSTADII, Typis Thomæ Gratiæ, Typogr. Academicæ.

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N. 22

SII 1023



SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

MAXIMILIANO
EMMANVELI

Utriusque Bavariæ, nec non Supe-
rioris Palatinatus Duci,

Comiti Palatino Rheni,
S.R.I. ARCHIDAPIFERO

ELECTORI,

Landgravio in Leuchtenberg, &c.

Principi ac Domino suo
Clementissimo.



Serenissime , ac Poten-
tissime
PRINCEPS,
DOMINE
Domine Clementissime.

Minor sum , SERENISSIME AC PO-
TENTISSIME PRINCEPS , ELEC-
TOR CLEMENTISSIME , quām ut
SERENITATIS VESTRÆ pro ser-
vanda Christianitate , & toto Sacro Romano Im-
perio

perio suscep^tos incredibiles labores, innumera
pericula, & tot partas in utroque præpotentib^e l-
lo victorias celebrem. Non patiuntur trede-
cim annorum Trophæa , se^fe tam paucis lineis
concludi, quorum unumquodque magnum Li-
brum meretur. Immortalem Nominis gloriam
Integra Regna, Orbis loquitur universus ; testa-
tur Hungaria virtute SERENITATIS VESTRÆ
liberata, Belgium conservatum , miratur Italia,
ad gratulatur Germania. Id ago subditorum mi-
nimus, & paucos hosce manipulos super Jure
Asyli Ecclesiastici , atque Controversia hujus rei
facilè celeberrima intra paucos dies in Universi-
tate Ingolstadiensi collectos , studij meitestes, ad
SERENITATIS VESTRÆ Clementissimos pe-
des unà mecum prosterno. Asylum quæro sub
SERENITATIS VESTRÆ Clementissima pro-
tectione, nullius sceleris magis Reus, quām In-
gratitudinⁱs , quantoscūnque annos in servitijs
SERENITATIS VESTRÆ unàcum Patre meo
toto vitæ tempore fidelissimè servire potero.
Quid enim Infimus cum Patre reponam tantis
gratijs? tot Clementissimis favoribus? quid Sere-

nissimis obtutibus, quibus me nuper Bruxellis
dignari, & inter famulos suos numerare Clem-
entissimè voluit SERENITAS VESTRA. Benesi-
cij hujus magnitudo, & tot Gratiarum memoria
non sinit amplius quid loqui, quam ut ELEC-
TORALI SERENITATI VESTRÆ pro totius
Europæ præsidio, Patriæ verò solatio unico Lon-
gam vitam, omnem felicitatem, & innumeratas
adhuc victorias à Deo apprecer, mihi verò non
modò à Clementissimo Asylo hoc non extrahi,
sed in eo mori posse.

Serenitatis Vestræ

Subjectissimus & devotissimus servus

Franciscus Xaverius Josephus Unertl.

Præfatio.

Non dubitamus, Amice Lector, quin expendens nostra, quibus vivimus, tempora, ex parte faveas propositæ Quæstioni. Nunquid enim singulis annis complures Atroces Homicidas videmus Sacro Alyli Jure salvari, & servari? Nunquid intra paucas hebdomades in non multum disita, & nota Civitate ejusmodi duo immânes Homicidæ ope Immunitatis Ecclesiasticæ evolârunt. Et Res ista tam frequens est, ut etiam Laicorum Judicium in requirendis hisce Reis sollicitudo lastrari videatur, tanquam receptus hoc sacro Alyli Jure videretur jam certum effugium habere. Certè abusum hujus rei graviter lentit *Gregor. Tholos. in Synt. Juris universi L. 33. c. 22. n. 3.* ubi vult, consuetudinem hanc confugiendi ad loca lacra tanquam Bono communi præjudicioram, eò quod det occasionem delinquendi, servandam non esse. Quin indignatus jam olim Poëta fuit, quod Deorum Ara profuisset scelerato. Ita canit *Ovidius L. 5. Metamorph. de Persei, Phineique pugna.*

Vt stetit ille toro, Stratis tum denique Perseus

Exsiliit, teloque ferox Inimica remisso

Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus

Iset, & indignum! Scelerato profuit Ara.

Enimverò quidquid sit, Nos cupimus Templis, & Dei Ecclesijs omnem Reverentiam servari, mediâ viâ tanquam tutissimâ incedere, & sic saltem Homicidis infidiosis Jus Alyli negare, vel saltem disputabile reddere. Et nunquid satis, recipi Homicidium deliberatum, & ex proposito? Si Nobiscum non sentis, & in sensu tuo abundas; tantumdem Juris etiam Nobis concede. Libellus iste parvus est pro ratione temporis, nec refert, nam ingenij vires molem non exigunt.

Errores, si qui irrepserint, vel Typographici vel alij,

temporis angustijs adscribe, & ipse emenda,

Lege & Judica, sed non vice

yerfa,

APPROBATIO

Theologica.

Cum hoc Judicium Jurisprudentiae Civilis de homicidio proditorio contra fidem aut bonos mores nihil judicet, sed opinionem, minus quidem hactenus receptam, contra communiorum novis rationibus subtiliter inventis illustrat, dignissimum censendo, ut typis imprimatur, & publicae disputationi committatur, ut tam Utriusque Partis veritas certius elucescat, quam Prænobilis D. Defendantis promptissimi ingenij vis, & eximia Doctrina privatim notissima etiam publicè innoteat.

GEORGIUS PRUGGER S. J.
SS. Theol. Professor. Ordin. &
p. t. Decanus.



APPROBATIO

Juridica.

Quæstionem in Frontispicio propositam, utrum ad dicendum homicidam proditorum, cumque immunitate Ecclesiastica privandum Amicitiae Qualitas desideretur; pro utraque parte dilectissam prælo & prælio Scholasticō proximè subjiciendam, ut Prænobilis, & Doctissimus Dominus Defendens de suis in Juris prudenter exantatis laboribus & progressibus mihi jam præterito anno in privatis Pandectarum Collegijs, in quibus & ipse ex optimis unus numerabatur, abunde probatis, etiam publicum edere queat specimen, judico dignissimam.

GEORGIUS WIDMONT ab
Offendorff J. U. Doctor Sac. Cæsar.
Majest. & Sereniss. Elect. Ba-
var. Consil. Pandect. & Feud.
Professor Ordin. & nunc Facult.
Juridicæ Vice Decanus.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Ad omnia Consilia , omnesque actus semper
progredimur L. 2. in prin. Cod. de Off. Praefect. Prator.

ASSERTIO I.

Facti Species.

S U M M A R I U M .

1. Proponitur facti species , & argumentum ad disputationem introducitur.
2. Questiones duas inde orientes derivantur.
3. Causa assertur argumenti ad disputationem propositi.
4. Ostenditur , quibus hoc thema , & ejus discussio conveniat.

Clodijs miles Guriam commilitonem suum sibi jam aliunde Inimicum , & cum quo ante aliquot dies aper- tè , & non leviter rixatus erat , per insidias à tergo aggressus , ferro in cautum , & nihil cogitantem transfixit ; cœde verò ita perpetrata sub tentorium , in quo altare missæ Sacrificio destinatum erat , confu- git. Dux exercitūs , ut Clodius non violato sacri alyli jure capere- tur , jussit tentorium refigi , altare tolli , & castra moveri. Sed Clo- dius ab amico monitus acceptam ex altari aram , seu altare , quod por- tatile vocant , lecum asportavit. Ex qua Facti Specie quæstio ori- tur

2 An ad homicidium proditorium

- etur duplex, prima, an Clodius secundum se dicatur homicida proditorius, & sic abstrandendo à loco, ad quem hīc & nunc confugit, gaudeat immunitate sacri alyli, vel an non gaudeat? Secunda quæstio, an hoc privilegium abstrandendo à Cladio, & ejus occidente, extendatur ad altare portatile. Et in nostra quidem sententia cœsat resolutio ad secundam quæstionem, quia Clodium ex hac sola sua occidente tanquam homicidam proditorum ab Immunitate Ecclesiastica excludemus, prout ex hac causa ad propositam secundam quæstionem etiam solum paucis verbis sumus responsuri; casum verò ideo integrum retulimus, quia eum in hisce ferè terminis Amicus quidam noster priori anno 3. Decembbris pro Resolutione domestica proposuit, cuius bonâ veniâ eundem hīc ad propositum nostrum applicamus, ut à pluribus tragædiis nostrorum temporum nos alienos ostendamus, & solum veritati ulteriùs indagandæ inten-
tos. Nec poterat forsan intra tam breve tempus, & paucos dies, quibus Prænobilis Dominus Defendens cupit publicum maximæ lux eruditionis specimen præbere, aptius argumentum feligi, quam quod in Principum curijs, & Episcoporum consistorijs pro hoc tempore non modicè moveri intelligimus. Examinatur hoc thema pas- sim à Civilistis sub tit. Cod. de his, qui ad Ecclesi. confug. & à Ca- nonistis, sub tit. de Immunit. Ecclesi. & cap. 1. extra de homicid. Nobis verò est specialiter proprium, quod etiam inter res criminales, quarum Instructio nobis extraordinariè clementissimè est de- mandata, à Prospero Farinacio, & à Laurentio Mattheu, consti- tutionib[us]que Bavanicis referatur.

A S S E R T I O . II.

S U M M A R I U M .

1. *Clodius in proposito themate gaudet immunitate Ecclesiastica, & quare.*
2. *Excluditur à sacro asylo solum homicida proditorius, & quis talis.*
3. *Ad rationem homicidij proditorij requiritur qualitas amici- tiae, & ibi hujus rei exempla.*
4. *Quid juris si quis occiderit inimicum reconciliatum.*
5. *Qui inimicum suum occidit, non privatur jure sacri asyli.*

Longè

6. Longè minus qui proximum suum tantum proditoriè vuln-
ravit.

Quod verò Clodius in proposito casu secundum se gaudeat immunitate sacri alyli, videtur juxta communem totius propè Christiani orbis sententiam ideo extra dubium esse, quòd in facto supponatur, Guriam commilitonem per insidias, & incautum à tergo transfixum esse, postquam inimicitia jam præcessisset, atque sic caula jam extitisset, ob quam Guria sibi à suo Inimico præcavere & potuisset, & debuissest; sibi propterea negle-
ctum imputaturus, qui verò ita occidit Inimicum suum, etiam per insidias & industriam, à tergo incautum, vel nihil cogitantem, non dicitur homicidia proditorius secundum doctrinam Bart. in *L. per-
ficiendum 11. §. 2. ff. de pñ*, excluditur verò in Bulla Gregorij.
XIV. edita de hac re anno 1591. præter Assassinos, & in Ecclesia Oc-
cidentes vel mutilantes ab hac alyli immunitate solus homicida proditorius, seu ut verba habent summi Pontificis ibidem, *qui pro-
ximum suum proditoriè occiderit*, proinde Clodius quoque hujus sacri privilegiū lecurus est, tanquam non cenlendis homicida proditorius, utpote quisulum Inimicum sustulit; requirunt ergo Inter-
pretes isti ad rationem homicidij, ut id fiat sub specie amicitiae, aliud simulando, aliud agendo, habentque illum demum pro tali homicida proditorio, qui per insidias seu dolum, & sub specie amici-
tiae, aut nullius præexistentis Inimicitiae per reconciliationem sub-
latæ, aut sub specie promissionis seu fidei datæ de non offendendo incautum, & nihil prævidentem & luspicantem ferrō, sclopeto, aut
venenō occidit; atque sic privant Immunitate Ecclesiastica, qui pa-
rentes, conjugem, Dominum, familiarem, contubernalem, com-
mensalem, commilitonem, socium itineris, nulla inter eos præce-
dente rixa, aut Inimicitia, atque sic nullam metuendi caulam ha-
bentem voluntariè occidit, ut docet cum communī Thom. Delben.
de Immunit. Ecclesiast. cap. 16. dub. 20. sect. 1. 2. 3. & 5. Ex hac ra-
tione etiam excludunt à sacro alyli jure illum, qui Inimicum recon-
ciliatum, rancore sicutè solùm sublato, at postea redeunte, occi-
dit, præsertim si hunc exterius non manifestavit, nec aliter & fa-
cile redditurum esse occisus potuit rationabiliter suspicari, deceptus
proinde amicitiae aut reconciliationis specie, nec habens cau-
sam sibi præcavendi, ut tradit Prosper. Farinac. *L. 2. consil. 168. n.*

4.

An ad homicidium proditorum

75. Augustin. Barbos. de univers. jur. Eccles. cap. 3. n. 93. Thoma. Delbene cit. cap. 16. dub. 20. sett. 3. n. 1. & seq. Ubi subiicit, de amico reconciliatio sic per intidas sublati alios satis probabiliter contrarium asserere, eò quod amicus reconciliatus æquipolleat Inimico juxta illud, *Amico reconciliato ne credas in eternum*. Et ita fuisse decisum in curia Archiepiscopali Neopolitana, testatur ibidem Riccius part. 1. decif. 168. n. 1. Sicut vero hujusmodi homicida, qui Inimicum reconciliatum à tergo, & nihil cogitantem per infidias occidit, non per omnes adversarios nostros sacra immunitate privatur, ita ab ea non arcent, qui inimicum suum in propria Illius Domo, aut in suam alicujus debiti causâ venientem, incautum & inermem à tergo etiam aggreditur, & occidit, vel etiam venenô perimit, eòquod hæc occisio, licet præmeditata, & insidiosa, propriè loquendo proditoria non sit, hoc ipso, quod sub specie amicitia non processerit, ut attestatur cit. Delbene D. dub. 20. sett. 2. n. 5. Eminentiss. Cardinal. de Luca. theatr. verit. part. 4. L. 14. dicuf. 9. n.

6. Longè minus privant hoc privilegio, & hoc etiam ex nostra Sententia, qui proximum solum proditorie vulnerat, aut venenum præbet, si mors non sequatur, cum talis occidisse non dicatur. Augustin. Barbos. de jur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. n. 90.

*A S S E R T I O III.**S U M M A R I U M.*

1. Proponitur Fundamentum sententia requirentis ad proditorium homicidium qualitatem amicitia.
2. Verba formalia ipsius Bartoli afferuntur.
3. ulteriores textus ab adversariis afferuntur, & ratio proditoris explicatur.
4. Adversarij stabiliunt suam sententiam ulterius ex sacro jure canonico, & jure divino.
5. Argumentantur adversarij ratione & quomodo.
6. Afferitur authoritas pro hac communissima omnium sententia, & qualis.

Fundamentum vero hujus communis Sententia, quæ ad rationem proditorii homicidij, prout id immunitate Ecclesiastica privatur, requirit qualitatem Amicitia, situm est potissimum in autoritate Bartoli, cuius in *L. perspicendum 11. §. 2.*

ff.

ff. de pæn. hæc sunt verba; aut proposito delictum sit, quandoque ex proposito antecedenti; & istud delictum committitur duobus modis, uno modo insultando; est autem insultus in alium salutem, ut probatur in L. 1. §. cum arietes. supr. si quadrup. pauper. Feciss. dicat. & L. ille qui aggressorem. §. 3 ff. ad leg. Cornel. descar. alio modo committitur ex proposito proditorie, est autem prodere unum actibus ostendere, aliud in mente gerere, ut notatur suprà de prævaricat. L. 1. & supr. ad L. Jul. Majest. L. 4. in prim. Et ideo si veniens tecum tanquam Socius itineris, nulla interveniente rixa, te percutio, non possum dici contra te fecisse insultum, sed dico hoc fecisse proditorie, quia aliud gerebam in animo, quam illud, quod gerebam in actu, pro hoc Cod. de delatorib. L. fin. Lib. 10. Vel si sedens tecum in mensa hoc faciebam, vel si cùm tibi essem Amicus, saltem inter te, & me nullus erat rancor, percussi te de retro. Secus si essem mihi Inimicus, ita quod esset rancor inter te, & me, & tunc te proditorie non percutio, quia illud, quod facio, in actibus ostendebam, scilicet me tibi deservire velle. Huculque Bartolus, quem velut avem præuntem lecuta est reliqua Doctorum caterva cum Anton. Gomez. variar. resolut. lib. 3. cap. 3. n. 5. Jacob. Menoch. de arbitrari. Jud. cas. 361. n. 24. Gigas de crim. Iasa majest. Rubr. de proditorib. n. 16. & 17. ubi propterea valde invehitur in Cælarem Borgiam Filium Alexandri Sixti, Pontificis maximi Ducem nuncupatum Valentum, qui fingens se amicum Baldi Feltrij ejus nominis primi Ducus Urbini sub hac specie quæslivit, eum interimere, quem propterea proditorem nuncupari consuluit Jal. Consil. 86. vol. 3. ut videre apud Farinac. quest. 18. n. 74. in fin. Textus insuper adducunt ex Jure civili, & in primis L. cuiusque dolo 4. ff. ad L. Jul. Majest. at. qua Ille, qui exercitum populi Romani dolò malo tanquam amicus in hostium iniidiis induxit, pro proditore habetur. Deinde utuntur L. fip. Cod. de delatorib. ubi servus proditor centetur, qui Dominum defert tanquam amicus domesticus. Denique L. omne delictum §. exploratores L. proditores ff. de re militari. L. 2. Cod. que res exportar. quibus locis tranfugæ exploratores, proditores dicuntur, qui inter nos velut amicos degentes arcana hostibus produnt, eosque instruunt, ut adeò manifestum esse videatur, veram prodictionem esse, quæ sub specie amicitia commissa est.

- eoque criminis Amicis duntaxat, locis, vel Necessarijs, aut patriæ insidias strui. Stabilunt præterea Adversarij suam sententiam ex sacris Canonibus, ex sacris litteris, & ratione. Et quidem ex sacro iure canonico producunt tex, in cap. *Clericus qui 3. distinct. 46.* ubi dicitur Clericus, qui adulationibus & proditionibus vacare deprenditur, ab officio degradari debere. Ex sacris paginis afferunt Psalm. 55. ubi Christus de Juda proditore propheticè conquerens: *Si Inimicus, inquit: Meus maledixisset mihi, sustinuisse utique &c. Tu vero homo unanimis, & notus meus, qui simul tecum dulces capiebas cibos &c.* Item Psalm. 40. *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panem meum, magnificavit super me suppplantationem.* Sic etiam Regum Sapientissimus Joab Principi exercitus David Patris sui in Tabernaculum, & ad altare confugienti non pepercit propter homicidia, quibus Abner Principem Militiæ Israel simulando amplexum, & Amasam Principem exercitus Juda exosculando, salve mi Frater, dicendo interfecit. *Reg. lib. 3. cap. 2. v. 28. & 32.* Ratione vero sic argumentantur. Ulus Vulgi equidem etiam illum, qui inimicum per insidias tollit, proditorem vocat, verum impropiè, & largò modò, ut respondet Delben, *cit. sect. 5. n. 5. in fin.* cui modo loquendi, et si locus esse possit in materia favorabili, in odiosa tamen, & derogante Immunitati ac Venerationi Ecclesiarum, aiunt, præferendam esse propriam, & strictam acceptiōnem. *Vincent. de Franc. decis. 713. n. 16.* atque in dubio respondendum pro Immunitate, cuius causa pia, & favorabilis est, continetque privilegium concessum per modum legis, insertum juri communi, qualia privilegia latam interpretationem accipiunt. *cap. Quia circa. 22. de privileg. cap. olim. 16. de V.S. L. beneficium.*
- 6. ff. de constitut. Princ.** Ita ratiocinantur, tentintque, atque opinionem suam vocant communem, indubitatam, ac ferè certam *Guazzin. defens. Reor. 1. cap. 38. n. 48.* *Ricc. part. 1. decis. 168.* *Marc. Anton. Genuenl. prox. Archiepiscop. cap. 94. n. 2.* Dicens, eam semper servatam in Regno Neopolitano. *Prosp. Fagnan. in cap. inter alia. n. 49. de Immunit.* aiens, eam post constitutionem Gregorij XIV. difficultate carere. *Francil. Zypæ. lib. 3. Jur. Can. de Immunit. respons. 2.* *P. Christoph. Haunold. de Just. & Jur. tom. 6. tract. 1. n. 219.* allegans præxin supremi Senatus Castellan

stellan, Alexand. Sperell. *decis. 23.* & *decis. 175.* confirmans eam
facris Consulit⁹ Romanis, & allegans Doctores Juris Ecclesiastici
ferè in integra Centuria, homicida ergo Proditorius esse nequit
hostis vel Inimici quomodocunque incauti & nihil prævidentis,
aut suspicantis à se perempti etiam ex tribunalium praxi, teste De-
cian. *criminal. lib. 7. cap. 3. n. 10.* ubi afferit, proditorem aliquem
existimari ex eo, quod nulla præcedente Inimicitia offendat. Thom.
Delben. *De Immunit. Ecclesiast. cap. 16. dub. 20. n. 8. in fin.* Ubi
ait, ita declarasse Clementem 8. summum Pontificem per breve
ad Archiepiscopum Panormitanum Die 6. Februarij 1597. Næ hanc
sententiam fuisse admissam à prædicto Clemente VIII. attestatur eti-
am differtis verbis Prosper. Farin. *In appendice de Immunit. n.*
143. Ubi propterea mutavit sententiam.

A S S E R T I O IV.

S U M M A R I U M.

1. *Adversariorum sententia & authoritas est venerationi.*
2. *Homicidium consideratur in quadruplici forma, & quali.*
3. *Inter has species sicut est differentia in ordine ad pænam, ita*
etiam ad sacrum asylum.
4. *Quid in hac re statuant leges civiles, & quæ olim mens con-*
cedentium jus asyli & Imperatorum.
5. *Explicatio capit. 1. de homicidio, & quæ tunc inter Doctores*
controversia.
6. *Homicidium factum ex proposito tunc ab aliquibus excludebas-*
batur immunitate Ecclesiastica, & quomodo.
7. *Controversia tunc inter Doctores de hac re agitata, & per Gre-*
gorium XIV. decisā.

QUamquam verò sese ista turris instar habeant munitissimæ,
atque hæc egregia sint adversariorum argumenta, quam-
quam etiam difficile sit, contra torrentem niti, tamque
multis contradicere, propè temerarium, nihilominus quia
fortissimorum etiam Propugnaculorum vires non magis patescunt,
quam si crebrò ab hostibus tentantur, ideo Nobis, postquam 20.
annis, ut cum Andr. Fachim. *lib. 9. cap. ult.* loquamur, laxum hoc
vol

- volvimus, licebit bona Adversantium venia, etiam animi nostri sensa in contrarium aperire. In qua re ut ordinatè procedamus, 2 homicidium consideramus in quadruplici forma. Et quidem in prima, si id factum magis casu, quam animo deliberato, vel ex-proposito, ut si quis forte in rixas incidit, & alterum occidit. In secunda forma, quando id factum est ex animo deliberato, & ex proposito, aperto tamen Marte, & sine insidijs, ut si provocatus occidit provocantem, vel vicissim. In tertia specie, quando illud factum est per industriam & insidias, hoc est, quando quis alterum incautum, & nihil cogitantem, sive amicus fuerit, sive Inimicus, ex astutia ita occidit, ut pro tunç ei omnis defensio fuerit præcisa, industria enim dicitur ingeniosa diligentia *L. nulli. §. fin. Cod. de Episcop. & Cler.* Insidiæ verò vocantur technæ & machinatio-nes, ac velut laquei quidam latentes. arg. *L. 3. ff. de Iust. & Jur.* quæ non convenient simplici & animo proposito deliberato, ut pulchritudine advertit Tiber. Decian. lib. 6. cap. 28. n. 15. in quarta denique forma consideramus homicidium factum sub specie amicitiæ, aliud simulando, aliud agendo, ut si quis amicum suum in mensa, & itineris Socium occidit, ita ut necessaria qualitas sit amicitiæ simulatio, & exclusio omnis Inimicitiæ præcedentis, de quo Bart. in d. *L. 11. f. 2. ff. pœn.* Decian. lib. 7. cap. 29. n. 10. Quemadmodum vero erat differentia inter has species quatuor in ratione perpetrandi, & in ordine ad pœnas, ut tradunt textus & Doctores in *L. propter insidiosas. Cod. qui accus non poss. L. 4. ff. ad leg. Jul. Majest. L. fin. Cod. de delatorib. Joan. Brunnum. ibid. in fin. Prosper Farin. lib. 1. quæst. 18. n. 73.* & communiter Criminalistæ in art. 124. & 137. & seqq. ita quoque circa jus assyli, seu Immunitatem Ecclesiasticam hæc discrimina ante constitutionem Gregorij XIV, observabantur, & quidem etiam homicidium in secunda specie, (quidquid sit de prima) seu quod dicimus ex proposito & animo deliberato per venerandas Leges Romanas, quæ divinitus per ora Principum noscuntur promulgatae. cap. fin. cnus. 16. q. 3. excludebatur ab Immunitate Ecclesiastica, ut est tex. expref. in Novell. 17. cap. 7. Neque autem homicidis, neque adulteris, neque Virginum raptori-bus delinquentibus terminorum custodes cautelam, sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes. Ratio est, quia ab initio mens

m̄ens concedentium Immunitatem non alia fuit, quam velle præstare refugium miseris, qui humana fragilitate & casu in aliquod crimen incurrisse, non verò sepleratis, & qui ex proposito solent occidere, ut dissertis verbis testatur ibidem Imperator Justinianus cap. 7. Formalia; non enim talia delinquentibus pârcere competit &c. deinde templorum cautela non nocentibus, sed lexis datur à lege. Tiber. Decian. lib. 6. cap. 29. n. 1. Christinæ. vol. 2. Cod. lib. 1. de sit. 12. decif. 46. n. 6. notanter Gregor. Syntagm. jur. lib. 32. cap. 22. n. 3. in fin. ubi Autores isti clarissimi rationem a Jure Civili modò datam circa materiam hanc sacri asyli justissimè urgent, & considerant. Atque sic etiam Principes & Imperatores aylorum privilegijs plerumque inseri voluerunt, illos tantum homicidas, qui calore & feruore iracundiaz, vel ad conservationem vitæ suæ quempiam occiderunt, Immunitatis aylorum capaces esse, non item illos, qui animō deliberatō, vel ex proposito occidissent, tanquam illos aggratiandi, non hos, sola potestas esset, ut videre apud Joan. Harprecht §. 1. n. 25. Instit. de his, qui sui vel alien. Heig. part. 2. Quæst. 24. n. 56. Postquam verò Jura Canonica supervenerunt, & in cap. 1. de homicid. constituerunt, ut si quis per industriam occiderit proximum suū, & per insidias, ab altari evelatur, ut moriatur, tanquam sacra Ecclesiarum immunitate indignus, tunc ennata est inter Doctores controversia celebris, anne homicida ex animo deliberato gauderet imposterum sacro asyli privilegio, elſentque instantum per hæc jura Canonica Leges, & Constitutiones civiles priùs ex Novell. 17. recitatæ correctæ, vel non, ita ut demum homicidium sub tertia specie per insidiosam industriam perpetratum exciperetur? Affirmativam sententiam sustinebant complures Interpretes, nec distinguebant, an quis amicum suū, vel Inimicum, & præcedente inimicitia alterum occidisset, atque sic communissimè negabant ei Immunitatem, quisquis veneno, vel alias auctu insidiolo incautum, sive Amicum, sive Inimicum sustulit. P. Laym. Theol. Moral. Lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 8. Tiber Decian. Lib. 6. cap. 28. n. 19. Farinac. quæst. 28. n. 14. Jul. Clar. lib. 5. sent. 9. 30. n. 11. 12. 13. Covarruv. variar. resolut. Lib. 2. cap. 20. n. 7. qui ergo correctionem Juris Civilis per cit. cap. 1. de homicid. sustinebant, perpendentes hunc textum, existimabant, homicidas extrahendos esse ab Ecclesia, quoties proditio intervenerit, quod

significari dixerunt Insidiarum nomine, ut in terminis advertit Andre. Fachin. *Lib. 9. cap. 93.* & bene pro Nostra sententia notandum est. Altera Opinio negativa, & quod tunc stante sacro Jure Canonico relato in *cap. 1. de homicid.* excluderetur ab Immunitate Ecclesiastica homicida ex proposito, & animo deliberato, propugnatur ibidem ab Andr. Fachin. *d. cap. 93.* & quidem ex sequentibus rationibus. I. Quia Juri Civili consentanea est, quo certum est, homicidis hanc Immunitatem esse à Justiniano ademptam. Licet verò Jus Canonicum spectandum sit in hac re, & Juri Civili praeferendum, tamen nullibi quidquam exprelè constitutum Jure Canonico videbatur illi apparere contra Imperatoris legem. Notam verò esse juris Pontificij ac Cælarei concordiam, si non contraria exprelè sit cautum. *cap. 1. & 2. de novi oper. nuntiat.* II. Quia textus in *cap. 1. de homicid.* immunitatem hanc ei adimit, qui per industriam occidit, occidere verò per industriam videtur, qui ex proposito, & animo, ut vocant deliberato ac præmeditato occidit, nihil est enim aliud per industriam occidere, quam dedita operâ & ex proposito. III. Quia is, qui animo deliberato quempiam vult occidere, & occidit, sine dubio vitæ illius insidias parat, tempus scilicet & locum expectans, ut eum commodè aggredi, & occidere valeat. IV. Et hunc sensum esse *cap. 1. de homicid.* demonstrat Facheus eo quod sumatur ex *cap. 21. Exodi.* ubi sic habetur: *qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manu ejus, constitutum ipsi locum, in quem fugere debet. Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Ecce primo loquitur de eo, qui volens, hoc est, ex proposito, ut nunc loquimur, occidit, & iste debet mori; secundo de eo, qui non est insidiatus, id est, qui non ex proposito occidit; & iste gaudet immunitate; tertio, quia poterat dubitari, an primius, qui scilicet volens occidit, proximum suum, per industriam & insidias occidit; immunitate gauderet, respondetur ibi non gaudere &c. Et hanc opinionem tanquam verissimam sequitur Lud. Molin. *de just. & jur. tract. 3. disput. 23. n. 3.* Atque hoc, lis, & controversia, cum tunc temporis inter Doctores maximè agitaretur, atque incertum esset, an homicidium ex proposito & animo deliberato idem esset, ac homicidium per industriam & in-

fidas commissum, superveniens postea Gregor. XIV. in celebri sua Bulla *cum alias* diremissè censendus est, & constituisse, quod solum homicida per insidias & industriam, hoc est, qui proditorie proximum suum occiderit, ab Immunitate Ecclesiastica removendus sit, non verò homicida ex propôsito, & animo ita deliberato, ut nullæ insidiæ, hoc est, nulla proditio accessisset, nequaquam verò Jura Canonica in cap. 1. de homicid. præcedentia corrigere & qualitatem Amicitiae requirere insuper voluisse existimati debet, ut tamen volunt adversarij cum Reverendis. Domino Karg. Tract. de Immunit. n. 161. & seqq. Dian. de Immunit. part. 1. resolut. 1. ubi singulariter correctionem juris communis Canonici urget.

A S S E R T I O N .

S U M M A R I U M .

1. Ostenditur, que fuerit mens summi Pontificij Gregorij XIV.
2. Correctio juris est semper odiosa, & non facile inducenda.
3. In hanc rem patrocinari videtur etiam Bulla Gregorij XIV.
4. Ulterius affertur ratio de proditorio homicidio & explicatur mens Ecclesiae.

2 **Q**uod verò mens non fuerit Gregorij S. Pontificis, ita contra communem tunc Doctorum lensum præcedentia Jura Canonica in cap. 1. de Homicid. corrigere, & immutare, certum Nobis est, quia correctionis nullius, vel talis declarationis meminit ibidem, noti verò juris est, quod correctio juris odiosa, non modò ex simili ratione non admittatur, sed neque ubi est major ratio, quia tantum correctum, quantum expressum, cum expediat potius iura juribus concordari, tex. & DD. in cap. cum expediat. de Elect. in 6. L. precipimus. Cod. de appellat. Baro Enenkl de privileg. parent. part. prior. privileg. 14. cap. 14. n. 27. quin imo Gregorius XIV. S. Pontifex in illa sua Bulla contrarium potius, & quod non velit Jura Canonica in cap. 1. de Homicid. relata corrige, propterea contestatur, quia præfatur ibidem, quod potissimum illis Scandalis, quæ juxta Constitutiones Sixti. V. & Pij V. suorum Antecessorum in ordine ad Reorum extractiones in casibus à jure etiam non permisisse oriebantur, voluerit prævenire, ut

- Post verba Bullæ insuper testis est cit. D. Karg. *De Immunit. differt.*
 3. i. n. 13, per sequentia formalia: *Bullam hanc ob causam edidit, quod cum Sixtus V. & Pius V. sancto Zelo ducti diversas facultates & indulta extrahendi criminosos ex Ecclesijs sub varijs modis & formis concessissent diversis Principibus Laicis, eorumque curijs & magistratibus, plerique eorum Ministri per falsas interpretationes illis abusuerint, cum non modica libertatis Ecclesiastice ac Immunitatis Localis perturbatione: cujusmodi vim Ipse Gregorius Pontifex adhuc Cremonensis Episcopus pertulisse dicitur, abducto ex ejus cubili ad publicos carceres confuga, qui sub ejus lecti episcopatis sponda latitaret.* Ecce hæc est ratio introducere hujus Bullæ, ut modus circa extractiones indebitas per Laicos factas statueretur, ita namen, verba sunt paulò post in Bulla sequentia: *Ut quando praesens temporum calamitas, & nimia, que jam invaluit perversorum hominum malitia, id exposcit; aliquid etiam NB. ad terrorem delinquentum, & ad coercenda eorum facinora ultra id, quod præsca illa Majorum nostrorum disciplina, & NB. vetus Sacrorum Canonum norma præscriperat, in quibusdam casibus congrua moderatione exhibita permitramus.* quo ita stante, & in contrarium protestante S. Pontifice, quod nimirum ad terrorem delinquentium, & coercenda eorum facinora potius ultra SS. Canonum præscripta velit aliquid introducere, quam in tantum fræna laxare, vel eos corrigere, ut etiā singulariter fatetur Adversarius noster Franciscus Zypax. *Jur Canon. lib. 3. de immunit. respons. 2. n. 4.* non possumus Nobis, ut verum fateamur, persuadere, quomodo tot Interpretes Juris, & Theologii in hoc gravissimo negotio, in quo quasi totus Christianus orbis tacite conqueritur contra Immunitatem, in eam coeant sententiam, per quam foventibus odia, rancores, & Inimicitias capitales, ansa offertur necandi Inimicos sub spe fruendi Immunitatis privilegio, tanquam si qualitas odij & Inimicitiaz in causa sit fruendi eo privilegio, cum ea cessante non fruerentur. Nec percipere possumus, quomodo Sancta Mater Ecclesia, vel ullus S. Pontifex ex hypothesi hunc lensem constitutioni Gregorianæ tribuant, quando Tridentina Synodus cap. 19. sess. 25 de reformat. tot, tanquam pœnis supponit duellantes, auxiliatores, & intrantes, cum si perpendatur bene, plus damni, atque scandali generari soleat ex hujusmodi insidiosis homicidijs, ut rectè advertit Laurent. Matthieu. *de re criminali controvers. 30.*

ASSE

A S S E R T I O VI.

S U M M A R I U M.

1. Proditio varie sumitur, & quomodo.
2. Ostenditur, quod proditio, insidia, fraus &c. in jure sint synonyma.
3. Fura de servis non presumunt qualitatem amicitiae, sed inimicitie.
4. Furia Canonica vix in alia re imitantur magis Leges civiles.
5. Plures textus ex jure civili in hanc rem adducuntur.

Quæ omnia ut eō evidenter evadant, non ignoramus equidem, proditionem varie sumi, & quidem propriè, quando contra Principem sive statum publicum aliud moliamur, ut notat Vincent. de Franq. *decis.* n. 13. n. 15. Matth. Stephan. *In criminal. constitut. art.* 124. Etiam non negamus, proditionis speciem esse, quæ fit sub Amicitiae Schemate, ut si quis prodat Socium vel Itineris comitem, ut videre apud Farina. *quest.* 18. n 78. Sed hanc solam esse, & excludi hominis occisionem, quæ fit à tergo, ex infidijs & astutia, adempta omni defensionis justæ ratione, et si ab Inimico, tantò minus evincunt adversarij, quanto certius Nobis videtur, quod tam Jure Civili, & Canonico, quam etiam ab utriusque juris Doctoribus proditio, insidia, fraus, machinatio & dolus communiter accipi soleant pro Synonimis, & ita quidem probat textus in *L. capitalium* 16. §. igne 11 ff. de pœn. *L. Servum* §. *L. 7. & 8. Cod. de delatorib.* ubi cum priori loco diceretur, igne cremandos plerumque Servos, qui Saluti Domini insidiaverunt, explicatur in posterioribus, & repetitur, *Servum Domini delatorum* *juberi in exemplum omnium proditorum severissima sententia subiici*, qualis verò sit hac Severissima sententia, exprimitur in d. *L. 7. & 8. Cod. cit. tit. Servus* quidem statim igni traditur. Item: & propter hanc occultam accusationem insidijs alijs agere. Ita ut pœna imposita in *L. capitalium* §. Igne ff. de pœnis, eadem sit, quæ statuta est in d. *L. Servum. Cod. de delatorib.* & crimen accusare dominum, de quo in *L. 8. Cod. eodem.* idem quod insidiare dicitur,

dicitur , sive insidias agere in *L. 16. §. igne ff. de pæn.* & prodere in *L. Servum Cod. d. t.* per consequens verò idem est prodere , ac in-
 3 sidiari juxta hos clarissimos textus. Neque dicas cum adversarijs, hīc qualitatem Amicitiæ præsupponi , cūm de servis tanquam do-
 mesticis Amicis agatur , tantum enim abest , ut iura Civilia hanc
 qualitatem servis tribuant , ut directè contrarium de ijs, adeoque
 Inimicitiam præsumant , quo sensu expreßè cavitur , ne salus do-
 minī Servorum arbitrio committatur *L. 18. §. 5. ff. de quæst.* & ex eo
 prohibentur servi torqueri in caput domini , ne faciliter salutem ,
 quam appetunt , insidijs prævertant , in terminis Henric. Zœl. in
 pandect. tit. de questionib. n. 47. ubi insuper dicit , vulgare esse ,
 quot servi , tot inimici. quodque inter Dominum & servum nulla
 sit Amicitia , hisce verbis testatur Curt. de Alexand. lib. 7. quin
 imo in sacris paginis Micheæ. cap. 7. vers. 7. & Matth. cap. 10. vers.
 36. hæc veritas comprobari videtur , ibi. *Et inimici Hominis do-*
mesticij ejus. Tantum ergo abest . ut iura Civilia qualitatem Ami-
 citiæ ad proditionem requirant , ut juxta probata & allegata directè
 contrarium , seu Inimicitias supponant , non verò in ulla re magis ,
 4 quām in hac Sacri Canones legibus civilibus juvantur , cūm illæ :
 quatenus concessæ à jure Ecclesiastico immunitati non adversan-
 tur , approbatæ sint *Can. id constitimus. 17. quæst. 4. cap. inter-*
alia. ibi. juxta statuta Canonum , & traditiones Legum civi-
lium. extra de Immunit. Eccles. ut proinde in dubio de SS. Ca-
 nonum sensu juxta leges Romanas interpretationem faciendam esse ,
 Ipsi adversarij ultrò fateantur. Sedut pergamus , textus etiam est
 expressus in *L. 4. ff. ad Leg. Jul. majest. verbis: Lege Julia Maje-*
statis terreri eum , cuius dolo exercitus populi Romani in insidias
deductus , hostiisque proditus erit. Ecce in hoc textu JCTus
 clarissimè unum & idem esse statuit, in insidias deducere , ac pro-
 dere , agnoscente etiam Ludov. Pequer. decis. 54. n. 7. ibi. nam hæc
 duo nomina , proditio scilicet & insidia synonima sunt & unum &
 idem significant. Faciunt insuper textus in *L. fin. §. 1. & §. 7. Cod. de-*
re milit. L. 3. ff. de just. & jur. L. licet Cod. ad L. Cornel. de scarijs,
 ex quibus satis clare eruitur , quod alicui insidias ponere , vel in-
 diari , sit mortem hominis querere per technas , artificium , frau-
 dem , machinationem , & occultos laqueos , ut hæc fusili prosequi-
 tur Laurent. Mattheu de re Criminal. controvers. 30. n. 30. & seq.

ASSESTITO VII.

SUMMARIUM.

1. Efficaciter ostenditur ex Jure Canonico per insidias occidere esse proditorie occidere.
2. Idem ostenditur ex probatissimis Juris utriusque Doctoribus.
3. Afferuntur Autores, qui expressè improbant doctrinam Bartoli.
4. Affertur etiam autoritas ex Jure Divino.
5. Proditorie occidere est occidere retrò incautum, sive amicus sit sive inimicus.

QUod attinet Jura Canonica, est textus in lāpe citato cap. 1. de homicid. ubi alterum per industram, & insidias, occidere, est occidere proditorie, teste omni exceptione majore præstantil-
simo Didac. Covarruv. Lib. 2. var. resol. cap. 20. n. 7. ubi adver-
tit contra Bartolum, & sequaces ejus, hommicidium commissum per
industriam insidiosam, homicidium proditorium dici, verbis: adver-
sus quos ego animadvero, id homicidium commissum fuisse per in-
dustriam insidiosam, quod sufficit, ut proditorium dicatur. conßen-
tit Tiber. Decian. Lib. 7. cap. 29. n. 19. in fin. ubi in terminis tradit,
proditorie aliquem interfectum esse, quando incautus, & de retro
occisus est. ibi. Et pariter dicimus. proditorie quem interfecisse,
quando incautum & de retrò. lequitur Fontanel. claus 4. Apost. 14.
n. 118. ubi postquam retulit opinionem Bartoli, ita concludit: ea
tamen opinio nullatenus est tenenda, cum videatur expressè con-
trare textum in cap. 1. de homicid, quo probatur, solam insidi-
sam industriam efficere delictum proditorium. Hos comitatur Canonista-
rum Lux maxima Augustin. Barbola in cap. 1. de homicid dicens: pro-
ditorie autem quemquam occidere, aut per insidias, pro eodem
apud nos accipiuntur. Et Iur Ecclesiast. Lib. 2. cap. 3. n. 88. ibi. qui
autem proditorie, aut per insidias homicidium commisit, Ecclesiasti-
ca Immunitate non gaudet. cap. 1. de homicid. Et postea cum ad
longum recitasset Autores ita tenentes subjungit: Et expressè appro-
batur & recipitur in d. constitutione Gregorij XIV. ibi. qui prodito-

- riè occiderit proximum suum , proditorie enim quemquam occidere , aut per insidas , pro eodem apud Nestros in hac usurpatur tractatione . Videatur tamen etiam sub . n . 91 . & 92 . Jacob . Menoch . de arbitrar . Jud . casu . 361 . n . 25 . ubi ita loquitur : simplex verò animus deliberatus sine qualitate prodictionis consideratur , & ideo verum est dicere , proditorē animo p̄meditato delinquisse ; & per industriam , quod etiam affirmat Felsin in cap . 1 . de homicid . dum eum proditorem appellat , qui per industriam ; & insidas
- 3 alium occidit , id est , per insidiosam industriam . Protectò Prosper . Farin . quest . 18 . n . 70 . cùm priùs retulisset tententiam Bartoli ad prodictionis rationem requirentis qualitatem Amicitia , subjunxit hæc formalia ; Cujus tamen opinio nullatenus est tenenda , tum quia est directò contra tex . in cap . 1 . de homicid . quo probatur , solam insidiosam industriam efficere crimen proditorium , tum etiam , quia est contrā altiani communem , de qua suprà . huc usque ille , qui eodem modo loquitur quest . 18 . n . 24 . etiam supposita Gregorij XIV . constitutione . In hanc rem etiam scribit doctiss . Anton . Math . tract . de criminib . lib . 48 . tit . 19 . cap . 5 . n . 4 . verbis : Itaque accedam libenter ijs , qui scribunt indulgentiam non esse concedendam , si crimen atrox sit , velut parricidium ; cedes proditorie seu ex insidijs facta &c . Et ne infinitissimus in recentendis hilice autoritatibus , subjungimus adhuc ea , quæ habet R . P . Bernard . Sannig . Ord . Min . Tit . 49 de Immunit . Eccles . n . 9 . quintum , ait ille , de proditorie occidentibus proximum determinatur per cap . 1 . de homicid . illis verbis : si quis per industriam occidit proximum suum , & per insidas , avelles eum ab altari meo , ut moriatur , idem habetur in constitut . Gregor . Sub hoc titulo comprehenditur omnis occisor occidens per insidas proximum suum incautum , nullibi sibi præcaventem ab insidijs , ut dicitur in L . propter insidas Cod . qui accusar . non poss . Accedit denique ultra loca jam suprà ex Sacris litteris adducta Deuteronom . cap . 19 . ubi sic dicitur : qui percusserit proximum suum nesciens , & qui nullum contra eum odium heret aut nudius tertius habuisse comprobatur , ad unam trium Urbium confugiat , & vivat , postea . Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vita ejus , surgensque percusserit illum , & mortuus fuerit , & auffugerit ad civitatem perfugij , mittent Seniores , & eripient eum de loco effugij . vid . Guid . Papæ decis . 121 . Neque

Neque ignoramus, Testamenti veteris leges cæremoniales & Iudiciales, Christo in Cruce mortuo, celsasse: cap. translato de Constitut. neque obligandi vim ullam habere, nisi à Legislatore Ecclesiastico in Corpus Juris relatae vivificantur, prout docet S. Thom. 1. 2. q. 104. art. 5. Enimvero sicut Romani Pontifices leges halce judiciales Ecclesiasticis constitutionibus solent saepius renovare, & inviolabiles servare propter earum bonitatem, & commoditatem, tanquam quod Deus Optimus Maximus ad Populi sui gubernationem eas olim dederit, dubitandum non sit, quin etiamnum maximè sint futurae utiles, ac necessariae, teste Barbos, in cap. 13. n. 21. de Restitut. Spoliat, ita non solum textus Exod. vers. 14. expressè est Canonizatus in cap. 1. de homicid. sed etiam non ad parvam illustrationem locus Deuteronomij cap. 19. veluti quasi cum Exodo citato conveniens adductus a doctiss. Fach. ibidem cap. 93. Sicut vero textus isti nullibi qualitatem Amicitiae ad prodictionem requirunt, sed ipsam Inimicitiam in odio requisito potius innuunt, ita Nostro iudicio sufficienter probatum est, tam in Jure Civili, quam Canonico, & apud probatissimos Authores per industriam & insidias occidere, & proditorie occidere esse Synonima, consequenter ita occidentem juridice, & non tantum in Vulgi existimatione pro proditorio Homicida accipi; atque sic Gregor. XIV. cum proditorie occidentem exclusit ab Immunitate, in propria significatione repulisse eum, qui occidit per insidias, occidit vero per insidias in probata Sententia, qui etiam Inimicum occidit a tergo incautum, & nihil cogitantem, præcisa omni justæ defensionis & præcautelæ ratione, videatur Barbos. collect. Apostol. decis. verb. Immunitas.

5

A S S E R T I O VIII.

S U M M A R I U M.

1. Que dicta sunt confirmantur etiam ex Lingua latine scriptis.
2. Textus in capit. 1. de homicidio explicatur, & ostenditur, quid fecerit Gregorius XIV.
3. Quoties probata est deceptio fraudulosa circa occasionem, hoc solo probata est proditio.

4. Nobiscum etiam sentire videtur Rever. P. Pirking.
5. Quid in hac re velint statuta Bavarica, & jus Regium Hispanicum.
6. Ratio adversariorum principalis etiam confutatur.
7. Ostenditur, quod adversariorum sententia bono publico adversetur, cum facile sit inimicitias primitere.
8. Ulterior adversariorum objectio egregie diluitur.

Quæ ita dicta sunt, confirmantur etiam ab optimis Lingue Latinæ Scriptoribus. Titus Liv. *histor. Roman. decad. 3. lib. 5. cap. 16.* hæc habet: *Gracchus Fraudem sermoni & rei abesse ratus, ac similitudine rei captus cum lictoribus ac turma Equitum ex castris profertur, Duce hoste in insidias precipitatus, hostes subito exorti, & ne dubia proditio esset, Flaccus his se adiungit, tela undique in Grachum atque Equites coniiciuntur.* Expende nunc narrationis seriem, & verba, deprehendesque clarè, quod idem factum pro fraude, insidijs, & proditione reputetur, & quidem Duce hoste, seu Inimico. Tullius Cicero. *Orat. 38. pro Milone. n. 27.* sic scribit; *Interim cum sciret Clodius, neque erat difficile scire, iter solemne legitimum, nec necessarium ante diem 13. Calendarij Februarij Miloni esse Lanuvium ad flumen prodendum, quod erat Dictator Lanuvij Milo: Româ subito ipse processus pridie est, ut ante suum fundum, quod re intellectum est, insidias collocaret.* Attende nunc factum, & intelliges, quod inter Clodium & Milonem insidijs sint, & inter Inimicos. Cornel. Tacit. *lib. 2. histor. cap. 25.* sic pariter pronuntiavit: *Celsus doli prudens repressit suos Vitellius temere exurgentess, cedente sensim Celsi, longius securi ultrò in insidias precipitatur.* Et paulo post de eodem conflictu, & iisdem loquendo sic dicit: *Victus praefectus Castrorum Julius Gracchus tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret: cum fratrem ejus Julium Frontonem Tribunum Othoniani sub eodem criminе vinxisset.* Ecce quomodo iterum dolus pro insidijs ponitur, & utrumque pro crimine proditionis. Ex his & alijs pluribus, quibus temporum angustiæ non patiuntur pro nunc inhærere, patescit, dolum, insidias, & proditionem pro una, eademque re ulurpari Juridicè, historicè, & sic propriè. Sic verò, cum stante jure communi Canonico, ut ostensum est supra, summè dubium

bium esset, an homicida ex proposito & animo deliberato haberetur pro homicida industrioſo, ſic verò in cap. 1. de homicid. diſjunctivè ſumpto comprehendenderetur, ac ſacro immuniratis privilegio excluderetur, cùm verò alijs cùm Covarruv. d. lib. 2. cap. 20. n. 7. ſecus videretur, infuper requirenribus qualitatē proditionis, ſeu, ut homicidium fieret per industriam & infidias collective ſumptas, hoc eſt, proditionem, ſupervenit Gregorius XIV. & in ſua Bulla de anno 1591. uſus ferè verbis cit. cap. 1. de homicid. per uoculam proditorie hoc ſolum dubium tollere, & conuenienter ad ea, quæ in veteri testamento exod. cap. 21. & Deuteronom. cap. 19. conſtituta erant, dereminare voluit, ut imposterum nullus homicida, qui proximum ſuum proditorie, hoc eſt, per infidias & industriam ſimul occidit, Saera Immunitate gauderet. Quoties igitur comprobata eſt deceptio fraudulofa, & infidiae artificiosæ ad occidendum incautum & nihil tale pro tunc præcaventem adhibita, hoc ſolo, ſive Amicus fuerit occiſus, ſive Inimicus, probata remanet qualitas proditionis; nec conuenit hoc verbum proditorie in quæſtionem deductum aliter interpretari, quam ſecundum diſpositionem juris, & interpretum acceptionem. videatur P. Pirhing. *Jur. Can. lib. 3. tit. 49. ſect. 2. S. 1. n. 28* ubi in lequentibus terminis remdocet: Ceterum præter delicta allata ex c. inter alia 6. c ult. h. t. ſunt adhuc alia quedam crimina atrocia excepta, in quibus non habet locum immunitas Asyle, etiamſi commiffasint extra Eccleſiam. Veluti primo. Homicidium proditorum, iuxta c. 1. De Homic. ut ſiquis non tantum de industria, ſive ex proposito: ſed etiam per infidias, v.g. à tergo aggrediendo hominem occiderit, nam incit. c. 1. copulative requiritur, ut quis per industriam occiderit proximum ſuum, & per infidias, vel dolum, ita, ut per posteriorem uocem determinetur, & declaretur vox prior, ut ſenſus ſit, ſiquis occiderit per industriam infidiosam, Covarruv. cit. c. 20. num. 7. idque procedit ſive in Eccleſia ſive extra illam, & ſive Clericum ſive Laicum proditorie quis occiderit, & ſive ipſe Occiſor fuerit Clericus ſive Laicus, Covarruv. c. 1. Suarez. cit. c. 11. n. 10. & 2. ſeq. Layman. incit. c. 3 num 8. Tertius Casus. Idemque eſt dicendum de eo, qui hominem ueneno clam propinato occidit, cùm illud ſit homicidium qualificatum ac proditorum arg. cap. 2. c. de maleſic. ubi dicitur, plus eſt hominem extinguiſere ueneno,

Quam occidere. Et hic quidem casus , etiam nominatim est expressus in Constit. Gregorij XIV. editâ anno 1591. qua incipit, cum alias & exstat apud Piasc in praxi Episc. p. 2. c. 4. art. 8. ibi : aut qui proditorie proximum suum occiderint. Et quamvis aliqui hoc extendant, etiam ad homicidium simplex, ex proposito, seu deliberato animo factum, quod & ob illud quis possit ex Ecclesia extrahiri; contrarium tamen est verius, ac tenendum, quia cum exceptio illa sit odiosa, quippe quae adversatur favori, ac privilegio immunitatis Ecclesiae concessae; ideo non debet extendi, sed potius strictè interpretari servata verborum proprietate. Covaruv. cit. loc. Suarez. Laym.

- 3 Certè jura Bavariae sunt in ea tententia , ut cum Fachin. lib. 9. cap. 93. nec jura Civilia communia correcta esse censeant. Chur-Bayrischer Malefiz Proces- Ordnung tit. 2. art. 10. ibi : Erstlich die Todtschläger / welche jemand mit vorbedacht / vnd Fürsatz / vnd noch mehr durch haimbliche Nachstellung vnd Verrätherisch / oder Bestellung der Todtschläger / oder durch Gifft vom Leben zum Todt gebracht ha. prout fere etiam servatur jure Regio Hispanico, ut Nobis testis est cit. Covarruv. d. cap. 20. n. 7. Laurent. Mattheu, de Re Criminal. Controvers. 30. Ceterum ut etiam de ratione, quam adversarij nostri pro sua sententia afferunt , aliquid dicamus, sicut est ea in eo, quod inimicus ita à tergo occisus , & ex insidijs , vel etiam venenô sibi debeat imputare , quod à suo Inimico satis sibi non praecaverit. Delben. cit. cap. 16. dub. 10. sect. 2. n. 6. & 8. Enimvero ut ad confutationem non adducamus exempla in vulgus nota, quis sibi à vindicta , quæ nihil inaustum relinquit , satis praecaverit unquam , si telis , gladiis , sclopeticis , quaquà quis iter facit , & mille ejusmodi insidijs ita se expositum perpendit, ut occisor Inimicus ad Immunitatem sacram configere, membraque sua , & vitam servare possit ; sufficerit vero hujusmodi fatalibus Inimicis, se in vita conservasse , & pro ratione generis , conditionis & potentiarum se vindicasse , contra illud Matthæ. cap. 5. ubi etiam Inimicos nostros diligere , & Deo , cuius est , vindictam relinquere , atque sic non odio perseQUI , & Inimicitias fovere jubemur , minus vero ex eo immunitatem sperare. Quin immò in adversariorum sententia Bulla Gregorij XIV. videtur vento scripta , vel certò casui raro posthac exituro , cum facillimum sit rerum intelligenti Inimicitias præmittere , & sic eò tutius , quo grayius sub spe Eccle-

Ecclesiastici aſyli peccare , cùm interim Reipublicæ interſit pluri-
mūm , homicidia publica , prämeditata , präfertim infidiosa maximè
puniri , & ſub ſpecie Immunitatis Ecclesiasticæ civium vitam , & bo-
ni publici rationem non in tot , tamque aperta diſcrimina adduci .
Neque ſatisfaciunt adverſarij dicendo , quòd hujusmodi caſu ho-
mocidij ita ex dolo & aſtutia perpetrati in Inimicum ſoleat ad in-
ſtantiam Partis , vel Principis à S. Pontifice extraditio decerni , &
concedi ſacri privilegij privatio ; präterquam enim , quòd ex hiſce
partibus diſſicilis ad S. Pontificem accessus fit , & interim custodi-
tus , nescio , per quaſ rimas , & cucullatus , vel in fæminam mutatus
ſoleat effugere , de qua re Reverendiss. D. Karg n. 40. ita hujus ex-
traditionis confeſſio , & juris jam quæſiti privatio tam facilis non
eft , & ſolum aliquando ob criminum enormitatem , & ut futuris in
Republiça ſcandalis occurratur , non aliter conceditur , quam ut
confuga nihilominus à poena ordinaria ultimi ſupplicij liber , extra-
ordinariè puniatur , ut teſtis eſt Eminentiss. D. Cardin. de Luca in
mifcellan. Immunit. diſcurſ. 2. n. 5. & diſcurſ. 11. n. 2. ſed luſſicerit,
ut diximus , talibus vitam conſervasse , & reliquas Relegationis ,
vel triremum poenas potentia , opibus , precibüsque Amicorum
cum tempore mōderabuntur .

A S S E R T I O IX.

S U M M A R I U M :

1. *Fuſe ad authoritatē Bartoli respondetur.*
2. *Veneno aliquem occidere , eſt hoc ſolo proditorie occidere , ſive ſi-
at ab amico , ſive inimico.*
3. *Qui per aſſassinum occidit , etiam ſuō modō proditorie occidit
& quomodo.*
4. *Exempla à Bartolo allata recipiunt ſuam reſponſionem & decla-
rationem.*

UT nunc contrarijs ſatisfaciamus , ponit equidem regulam ,
Bartolus , quod prodere ſit unum aetibus oſtendere , aliud in
mente gerere ; led präterquam quòd iſta regula adductis tex-
tibus non probetur , ita ex ea etiam ex hypothefi neceſſario infertur ,
C. quod

quod toties intervenierit simulatio voluntatis occidendi, quoties non ostenditur intentio nocendi, & ita adsit proditio, etiam si haec per Inimicum fiant, id quod ex eo ostenditur, quod necans aliquem veneno per insidias & proditorie necare dicatur, ex solo hoc, quod hujusmodi nihil cogitanti omnis defensio adempta sit, sive ab Amico fiat, sive inimico, tex. in L. I. §. 18. ff. ad Silanian. ibi ceterum quid poterunt facere aduersus eos, qui veneno, vel quo alio more insiduntur August. Barbos. Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 3. n. 49. ubi ex communi sententia docet, quod veneno occidens immunitate non gaudeat, eò quod proditorius homicida sit, & tutò cauteque occidat ausu insidioso, nec requirit amicitia praetextum cum quindecim ibidem relatis Doctoribus usque ad Joan. Ant. Novar. tit. de Immunit. Eccles. n. 76. Sic etiam qui interficit per Assassinum, dicitur necare proditorie, & insidioso ut per August. Barbos, ibidein n. 79. & tamen in hoc non requiritur comprobatio qualitatis simulationis amicitiae, neque tales prodictiones excluduntur ex eo, quod comprobetur odium inimicitia, seu rancor. D. Laurent. Matthieu, de Re Crim. controversial. 30. n. 50. Ulterius procedendo Bartolus exemplum prodictionis ponit in socio Itineris, qui secum ambulante percudit, nulla præcedente rixâ, & hoc probare intendit per L fin. Cod. de delatorib. sed ut jam suprà ostensum est, non de amico ibidem recriperunt Imperatores, sed potius de Inimico, quia de servo, proinde doctrina Bartoli debet intelligi juxta subjectam materiam, & potius de Inimico, vel certè ita de amico, sicut inimico, cum tota ratio computandi servum delatorem inter proditores ibi sit, quia accusando Dominum Salati ejus insidiatur, sub illo artificio, sive machinatione, ut deducitur ex textibus suprà allatis, unde resultat, quod, quoties machinatio sive cautela adhibeat ad occidendum securum, jam adsint insidiaz artificiis, quod est idem ac proditio, sive id inter amicos, sive Inimicos, quod enim insidiaz & artificiosa machinatio reperiatur, ubi Inimicus Inimicum querit cautè ad occidendum in palatio, in Curia, in sylva, & ubi eum inventum nequiter à tergo percudit ex improviso, nemo dubitare potest. Secundum exemplum ponit Bartolus ibi, vel sedens tecum in mensa hoc faciebam, in quo nullum tex-
tum allegat, & nihil addit de amicitia vel inimicitia, & merito, quia et si minus contingat, quod Inimici in eadem mena assideant, ut la-
borat cra

era pagina attestatur contigisse Lib. 2. Reg. cap. 13. tamen etiam alias fieri aliquando potest, ut inimicitia disimuletur, vel duo etiam Inimici à Tertio potentiori casu concurrentes mensa adhibeantur, ut in casu ante annum à me in Facultate relato factum erat, & digressi postea duellarunt, nonne idem dicendum quò ad illos, qui in Curia, Palatio, vel alias loco tali concurrunt, ubi non rixæ, & pugnæ habentur. Tertiū exemplum huic controversia aniam præbens explicat Bartolus in eo, qui à tergo percutit, & in eo exp̄s̄e requirit, quod rancor non debeat adesse, ut proditio resuluet: sed hanc regulam nullo textu juris stabilivit ibidem Bartolus, nec etiam simpliciter excludit proditionem ex rancore, sed quando esset rancor *inter me & te*, ita ut invicem inimici habeamus, & quando illud, quod facio, in actibus ostendebam, ex quibus verbis clarè satis resulat, quod Inimicitia præcedens per actus externos manifesta debeat fieri, ita ut occiso fuerit possibile præcavere, verbis *in actibus ostendebam*: cum enim exclusio proditionis procedat ex præcautione possibili ex parte occisi, necessarium est, quod prius percipiat periculum sibi imminens ex parte Inimici, & in his terminis sequitur Ant. Gomez lib. 3. cap. 3. n. 5. doctrinam Bartoli ibi; *ex quo deducitur, & insertur, quod si inimici erant invicem capitales*. Balaard ad Clar. n. 25. ibi: Ego tamen sequor opinionem Bartoli, qui dicit, occidentem per intidas vel retrò inimicum suum non esse proditorem, quia debet præcavere ab inimico suo. Sicque ceteri, tanquam si ratio unica non committenda proditionis ea sit, quod potuit ab Inimico præcaveri, sed haec potentia præcavendi supponit notitiam Inimicitiae per actus hostiles demonstrata, alias cessabit possiblitas præcavendi, ac per consequens cessabit doctrina Bartoli, tex. cit. L. 1. §. 18. ff. ad Silian.

A S S E R T I O X.

S U M M A R I U M.

1. Respondetur adversantium argumentis, & authoritatibus.
2. Afferuntur complures authoritates pro nostra hucusque relata sententia.

3. Clodius in facti specie propositus excluditur ab immunitate Ecclæsticæ.

Quod verò adversa opinio admissa fuerit à summo Pontifice Clemente VIII. testis est Nobis omni exceptione major Prosper. Farin. de Immunit. n. 143. ubi ex hac sola causa mentem suam ipse mutavit, & palinodiam cecinit, magis fortè in reverentiam Domini sui, cui delerviebat, quām quōd à parte rei ipse ita sentiret, id quod colligi potest ex eo, quod hujus mutatæ sententiæ nulla afferat fundamenta, dicatque id factum de voto tunc duorum ibi relatorum Cardinalium, & quia statim n. 144. subiungit, fuisse in facto tamen tunc ab illo ipso Pontifice servatum contrarium, additque insuper pro nostra sententia nihil omnīus iterum gravissimos Interpretes. Quin imo Marius Ital. de immunit. Eccles. Lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 1. attestatur de contraria hujus ipsius Papæ in hoc juris articulo mente; & contigit sèpius summos Pontifices in hujusmodi judiciis fuisse sibi invicem contrarios, cùm aliud sit judicare ita in causis, & sentire, quām publicè definire. tex. expressus in cap. licet 3. in fin. de Sponsa duor. Augustin. Barbol. ibidem. n. 5. Ita etiam in simili testabantur quidam Juris Canonici Interpretes, Gregorium XIII. respondisse, quōd in radice Matrimonij ad temporalia dispensare non possit, quod tamen alij de ipso negabant, ut videre apud Barbol. vot. decisi. Lib. 2. vot. 27. n. 25. in fine. & n. 31. Dicitur equidem summus Pontifex omnia jura in scrutinio Pectoris habere. cap. 1. de Constitut. in 6. jubemur etiam in causis, quæ summi Pontificis judiciorum deciduntur, similiter judicare. tex. in cap. in causis. 19. de sentent. & re jud. Verū sicut ad hoc requiritur, ut rigor æquitatis sit servatus, ita aliud est, sententiam à summo Pontifice admitti, aliud publicè pro bono Ecclesiæ decidi. tex. ind. cap. 19. de sent. & re jud. Et similia judicia lumorum Pontificum non videntur ad Canonum universalium institutionem pertinere, ut in simili tradit Covarruv. de Matrim. part. 2. cap. 7. §. 4. n. 25. & seqq. tex. & DD. in cap. quod propositisti. 32. quest. 7. & non tam spectatur, quid Romæ factum sit, sed quid fieri debeat L. sed licet. ff. de officio proconsul. L. nemo. Cod. de sentent. & re jud. & illum, qui solis exemplis utitur, ostendere le juris imperitum, dicit Alber. in L. 1. n. 5. ff. de Constitut. Princip. ubi carpit eos, qui ubi defuerint sibi jura

jura & rationes, nihil aliud sciunt allegare, quam quod ita fuit dictum.
 Sic etiam Eminentissimus Card. de Luca *cit. discurs. 5 n. 6. & 7.*
 Adversariorum opinionem in praxi Romæ servari vix proposuit,
 forte ex eadem ratione cum Farinacio, statim subjunxit, le ex ge-
 nio vel desiderio Publicæ quietis ad compescendum delicta esse cu-
 pidum majoris restrictionis hujus materiae contra delinquentes, ut
 exceptis illis delictis, quæ vulgo commiseratione digna dicuntur,
 Immunitas denegari deberet. Atque sic etiam Prosper. Fagn. in
 cit *cap. inter alia n. 49. & seqq. de Immunitate*, quamvis Ami-
 citiae mentionem faciat (libene perceperimus) non videtur voluisse
 Adversariis subscribere, sed solum de eo, quod homicida ex propo-
 fito, & animo deliberato, de qua controversia ibidem agit, adhuc
 gaudeat Immunitate, & quod post Bullam Gregorianam hoc non
 amplius habeat dubium, attestari, an vero Clodius Nostrus, & simi-
 lis ei Inimici sui percussor sacri assyli privilegio frui possit, non pu-
 tamus ibidem decidi ab Autore hoc. Alij Interpretes sic violenter
 rapiuntur in contrarium, ut doctrinâ Bartoli adductâ, quæ solum
 in tertio exemplo de rancore & inimicitia mentionem facit, in
 omni homicidio ex odio praecedenti vel ex inimicitia proditionem
 excludant. Alij sic confusè quæstionem hanc tractârunt, ut Co-
 varruv. Julium Clarum, & Petrum Placâ allegare audeant pro do-
 ctrina Bartoli, quam expresse reprobârunt. Alij eam vel omnino
 non examinârunt, vel per principia non juridica, cum tamen hac
 ut causa Matrimonij, non per quoslibet, sed Judices discretos, qui
 potestatem habent judicandi, & Statuta Canonum non ignorant,
 tractanda sit arg. *cap. 1. in fin. de Consang. & affinit.* Denique re-
 spondemus sententias in jure non numerandas, sed ponderandas esse,
 & tuerintur nostra castra post Covarruv. Julium Clarum, Sanchez,
 Menochium, Gutirez, Afflatum Gygantem, Petrum à Placha
 aliquosque plures. Sunt inter Recentiores Fr. nçil. Bermudez, Leonardus,
 Francis. Marius *decis 713.* Marius Italus *tract. de Immunit.*
lib. 1. cap. 5. §. 4 n. 1. & seqq. Laurent. Matthæu *de re Criminal.*
Controvers. 30. Wilagut *de extens. Leg cap fin. n. 53.* Anastas *ser-*
mon. de sacra Immunit. *lib. 3. cap. 16.* *ibidem n. 63.* Azered. *in*
Constit. Hispan. *lib. 1. tit. 2. n. 11* alique ab his relati, quibuscum
 interius Clodium nostrum non gauderet immunitate Ecclesiæ ex
 quo ita occidit Guriam Commilitonem per artificium & fraudem,

ut ut inimicum suum, ut ei se pro tunc defendendi fuerit præclusa omnis facultas.

A S S E R T I O X I.

S U M M A R I U M.

1. Ostenditur qua ratione Immunitas Ecclesiastica sit favorabilis, & sic satisfit potissimum Adversariorum argumento.
2. Opiniones rigorosa sunt hac in parte contra delinquentes prærendæ.
3. Laus eorum, qui Immunitatem Ecclesiasticam nimis Zelant.
4. Hac omnia à Nobis subiciuntur Ecclesia, & rectius sententia Judicio.

AUltimum & potissimum adversæ partis argumentum, quo dicunt, proditorum in materia hac favorabili esse strictissime sumendum. Ita respondemus, id imprimis nimium probare, quia summa proditio fit solum respectu Principis & Patriæ, ut expressis verbis testatur Bald. vol. 4. *Consil. 361. n. 3.* Propter. Farin. *Lib. 1. tit. 3. q. 101. n. 78* Tiber. Decianus cit. *cap. 29. n. 4.* Deinde non procedit hoc in correctorijs juris; novam enim constitutionem semper ita interpretamur, ut minus corrigat, nec admittimus correctionem per subauditos intellectus, vel ex identitate rationis, vel quando alio modo hujusmodi leges possunt ad concordiam revocari, & Legislator de correctione facienda nihil prefatus fuit. Tex. & DD. in *L. præcipimus. 5. ult. C. de Appellat.* Jacob. Menoch. *de præsumpt. 28. n. 1. & seq.* Posunt vero jura communia Canonica & Gregorij XI V. Constitutio nova pulcherrimè ad concordiam revocari & interpretari, ut ex præcedentibus patet, ergo; Videatur cit. Francil. Zypæ.

2. *Jur. Canon. de Immun. lib. 3. Respon. 2. n. 7.* ubi propter rationem à Nobis significatam, licet subscribat, Dianæ sententiæ, sed non ex juris communis correctione, sed interpretatione. Verum tex. in *cap. 1. de homicid.* ita interpretari, ut homicidium ex infidijs non dicatur commissum, nisi sub specie amicitiæ, forsan nec Adversarij volent. Et ita jura priora contra communem sensum extensivè interpretari, quid est aliud, quam jura præcedentia corrigere, quamquam

quam alias qui declarat, nihil de novo sanciat, arg. cap. 2. de Decim. in 6. Deinde fortè retorqueri posset argumentum in Adversarios, saltem illos, qui negant Clericos hac Immunitate Ecclesiastica gaudere; et si ea pia, favorabilis, concessa ob reverentiam loco sit: & privilegium contineat clavum in corpore juris, & latæ interpretationis, quo argumento; alij Clericis immunitatem hanc adstruunt. Prosper Fagn. ibi: n. 82. cap. P. Pirhing. de Immunit. n. 35 ubi hoc ait esse præcipuum argumentum, quod si verò in hoc articulo nihil probat in adversa sententia, etiam Nobis transire licet. Denique dicimus, Adversariorum argumentum non procedere, si, ut hic contigit, cum materia favorabili Immunitatis concurrat bonum publicum, quoniam in concursu boni publici & privati primum sit præferendum, & sic in dubio opiniones rigorosæ contra confugientes potius amplectendæ sint, quæ est mens expressa Cardinal. de Luca Miscellan. De Immunit. discur. 2. n. 6 ibi. hinc propterea facti potius, quam juris videntur hodie penè omnes juris questiones in hac materia localis immunitatis cadentes, an scilicet, & quando verificari casus exceptuati per hanc modernam Apostolicam Legem (Bullam Gregorij XIV.) cum quâ proceditur, quando scilicet crimen sapiat veram proditionem, seu verum assassinum, aliunde crimen exceptum, cum in hoc Ecclesiastici Scriptores Canonistæ & morales indiscretè magis forsitan quam par est, hanc Immunitatem Zellantes, ejusque favorem nimittum ampliantes adeo subtiliter causum exceptorum verificationem desiderant, ut verè nunquam eorum verificatio juxta eorum sensum detur; Id autem videtur parum probabile, cum pro meo sensu rei pub. intersit, favorem publicæ quietis publicique boni benigne potius agere, atque opiniones rigorosas contra confugientes potius amplectendæ congruum videntur. Item sub n. 9. ibi Large contra delinquentes potius in dubio procedendum videtur, non autem amplectendus Ecclesiasticorum, 3 præsertim moralium Zelus ut in dubio pro immunitate respondendum sit, quoniam in concursu boni dubitum, & privati primum est præferendum. atq[ue] in dubio pro eo respondendum; dicta enim benigna interpretatio ipsam Immunitatem non ledit, ut aliqui Zelatores credunt, cum ipsis substantia seu competentia in genere in nulla questione sit, sed questio in hujusmodi casibus exceptis favorem privatim imminet potius percutiat, quod ipsorum sacramenta Canonum

Intentioni, quinimo expressa Dispositioni adversatur. Martius
 igitur, atque cum meliori Zelo, qui fieri potest, per Ecclesiasticos Prae-
 latos ipsa Immunitas in genere tuenda est, & ne Laicalem potest at i
 concedatur illam sternere, sibique jus dicere, atque cum propria
 auctoritate delinquentes extrahere, atque punire, sed quando ad
 ejusdem Institutionis Gregorianae Prescriptum ipsa laicalis potestas
 reverenter, ut decet, agendo ab Ecclesiastico Superiore, ad quem per-
 tinet, extrahendi licentiam petit ratione criminis excepti, Istaque
 Imunitate indigni, tunc circumspecte ipsi Ecclesiastici Superioribus in
 hoc procedere debent, non autem criminosos confovere, atque illo-
 rum privatum favorem publico bono preferre; Si enim ita Prelati,
 aliqui Ecclesiastici Judices disretè, ut par est, segerent, Seculari-
 um querela non audiretur, ideoque non lex, sed mala observa-
 tio legis tot producere solet inconvenientia, ipsiusque imunitati pra-
 judicialia deoque ut loco defensionis potius leso ad præjudicium ipsi-
 us Immunitatis resultare soleat. Nempe Immunitas favorabilis
 est in hoc, ne per Laicalem potestatem indebita fiat extractio, &
 hoc probant jura in Canon. sicut antiquitus Can. Reum. 17. q. 4. Can.
 de raptoribus. caus. 36. q. 1. cap. inter alia de Immunitate. Non
 est autem ita favorabilis, quatenus agitur de crimine excepto, cum
 interficit Reipublicæ delinquentes puniri. tex. & DD. in L ita vul-
 neratus ff. ad L. Aquil. L. congruit. ff. de Officio. Praefid. L. 2. C.
 quando liceat unicuique se. L. si operus C. de pæn. Jodoc. Damhoud.
 pract. Crim. in proem. n. 1. & seqq. Ant. Faber in Cod. de his, qui ad
 Ecclesiam fug. definit. 1. ibi: ipsis quotidianis rerum experimen-
 tis compertum est, nihil posse dici, aut constitui periculosius, aut
 perniciosius, quam si sceleratis hominibus liberum sit fugiendo ad
 Ecclesiam effugere Judicis Laici coartationem &c. Quid enim alias
 ex tententia magni Augustini sunt Magna Regna, quam magna
 latrocinia; ob quæ profectò Reipub. incommoda, quæ fortè Eccle-
 siastici ob rationem vitæ suæ magis lecuri, neque hinc periculis,
 inimiciis & odijs ita expositi, non ita perpendunt; Certè olim in
 Legibus Caroli Magni cap. 8. & in Legibus Longobardorum tit. de
 reverentia Eccles. cessabat omnis Immunitas sceleratis alias con-
 cessa, ut testis est Gregorius Tholosan. Syntagn. jur. lib. 33. cap.
 22. infint Atque sic cum etiam sit magna Ecclesiarum frequentia,
 atque mens ab initio concedentim Immunitatem fuerit non alia,
 quam

quām solum fragilitate humana lapsis succurrere, cūm Domus Dei sit Domus Orationis, non spelunca Latronum, & Deus ipse vendentes & ementes non tulerit in Ecclesia, néque ex se indecens sit hominem sceleratum ab Ecclesia debita ratione abstrahi ad condignas pœnas, imò secundūm Senecam non possit Superis gratiōr viētima maectari, quām homo sceleratus, ideo in genere Immunitatis privilegium restringunt Covarruv. lib. 2. variar. resolut. cap. 20. n. 4. Decian. lib. 6. cap. 25. n. 14. Petrus Ferrar. in sua prædic. tit. forma, inquisit. vers. ex ijs potest nunc queri. Nicol. Boer. decis. 109. Jodoc. Damhoud. pract. Criminal. cap. 106. n. 21. & 4 seqq. lāpe laudat. Cardinal. de Luca. Miscelan Immunit. disurs. 10. n. 10 quo cūm in hāc verba finimus: ut enim alibi inhuatur, commendabilis quidem nimium Ecclesiasticorum Zelus, Ecclesiastica immunitatem nervosè tuendi, in ijs casibus, quibus congruunt rationes, ob quas immunitas concessa est, non autem commendabiles videntur illæ indiscretæ Criticationes quæ ad aliud non serviunt, nisi at conforendum facinorosissim homines, eosque ad criminis alliciendum cum publice quietis interversione contra sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum Constitutio nem, mentem ac rationem; ac propterea firma manente in occulta observantia Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum in illis casibus, in quibus ita expresse disponunt, in aliis tamen casibus ambiguis ac interpretatione indigenti us (pro meo (& Nostro) tamen sensu vel genio me (No.) subiectando semper judicio Ecclesia ac Sacrae Congregationis) cuperem, ut interpretatio fieri deberet pro exclusione Immunitatis contra delinquentes, potissimè vero ob adeo excretum Ecclesiarum, ac Do. orum Regulairum numerum. nimiamque frequentiam ac vecinitatem in Civitatibus ac locis habitatis, &c. torrius refutit Thololan. d.l. ubi videatur.

A S S E R T I O XII.

S U M M A R I U M.

1. Secunda proposita questio etiam quām brevissimè deciditur.
2. Valae probabile est, quod tenens altare protatice gauacat Immunitate Ecclesiastica.

Alteram quæstionem nostram non facimus, sed solum apponimus resolutionem Doctissimi Patris Ant. de Quintanaduenas S. J. qui suis singularib. Theol. Moral. tract. 4. sing. ult. n. 7. hæc habet: Confirmatur eventu quodam singulari, cum enim in castis miles quoddam scelus morte dignum perpetrasset, confugit ad Ecclesiam, seu altare portatile pro missâ celebranda in castro positum. Militum generalis Gubernator volens ab ista Ecclesia seu altare extrahere, ut debitum mortis supplicium inferret; territus est excommunicationis poena lata à quodam viro Docto Societatis nostræ Episcopi vices in exercitu gerentis, si Reum ab Ecclesia seu altari illo extraheret. At Generalis Dux ne in excommunicacionem incideret, & mortis poenâ Reum plectere possit, castra in aliud locum diverti jussit, ut divullo altari Reum caperet ac puniret. Sed S. J. Doctissimus vir Dux Generalis animum penetrans tradidit Reo aram, ut quæ est Ecclesiæ præcipuum Insigne, & Immunitatis, quâ Ecclesia gaudet, ratio præcipua; admonens ne eam à se removeri permitteret, donec in alio loco altare poneretur. Sic factum est; & Dux Generalis non est ausus capere Reum, utpote Ecclesiastica Immunitate gaudentem, eò quod secum aram deferret. Hac de re ipsomet ex nostra Societate, qui hunc novum Immunitatis modum invenit, consulit Doctissimum Suarium, qui ei respondit, rectè egisse, probabileque esse valde, Reum illum eò quod aram secum portavit, Immunitatem gaudere & puniri non posse &c.
hu cusque ille.

*O mīni a ad majorem DEI Gloriam, Virginisque
Immaculata honorem.*





PARERGA.

I.

Imperium Romanum est à Græcis ad Germanos in Persona Caroli Magni translatum. *cap. venerabilem. 34. de Elect. Card. Bellarmin. Lib. 1. cap. 6.* Carolus Magnus fuit origine, sanguine, lingua, moribus, hoc est, integritate & fidei constantia Germanus, & natus in Bavaria in Castello tribus milliaribus suprà Monachium sito, & Carlsburg dicto. Aventin. *lib. 4.* Imperium Romano Germanicum est Monarchicum. Theodor. Reink. *de Regim. Sacul. & Ecclesiast. lib. 1. class. 2. cap. 2. conclus. 5.*

II.

Ludovicus II. Bavariæ Princeps, Severus dictus anno 1273. ex voluntate & compromisso reliquorum Electorum elegit Rudolphum I. modernæ Serenissimæ Domus Austriacæ Progenitorem. Specul. honor. Austriac. *lib. 1. cap. 9. pag. 80.* Quotquot hodie sunt Comites Palatini, Originem suam debent Bavaris, & hunc Ludovicum Severum Bavariæ Ducem agnoscunt omnes Progenitorem. Nicol. Burgund. *in Electoral. Bavari. pag. 3.*

III.

Ludovicus hujus nominis. IV. Bavariæ Princeps, Modernorūmque Bavariæ Principum Progenitor Augustissimus anno 1314. majoribus votis legitimè in Imperatorem Romanorum est Electus, præfuitque Imperio prudenter & fortiter usque ad annum 1347. D. Herwarth. *Ludov. defens. cap. 2. pag. 5. & seqq. part. 2. per tot.* Initia Collegij Eleitoralis adscribimus Ottoni III. & Gregorio V. Summo Pontifici natione Germano. *d. cap. Venerabilem 34. de Election. Gæwold. Michaël Schifferer dissert. de Orig. & Poteſt. Elettor. theſ. 4.*

IV.

Maximilianus I. Cæsaris Friderici III. unicus filius anno 1477. per Ludovicum Bavariæ Principem ejus vices agentem sibi Mariam Caroli Duci Burgundiaæ filiam unicam, & cum ea Provincias Belgicas desponsavit. Specul. honor. Austriac. *lib. 5. cap. 26. pag.*

pag. 855. Fridericus Imperator & Carolus Dux jam prius egerunt de hoc Matrimonio, & consenserunt. Specul. honor. Austriae. d. lib. 5. cap. 21. & 26. Nuptiae à filiofamilias sine consensu Patris celebratae de Jure Civili non solum sunt injustae, sed irritae, secundum de Jure Canonico. Joan. Schneidewin, lib. 1. tit. de nupt. part. 2. n. 35.

V.

Georgius Dux Bavariae anno 1475. celebravit ferè splendissimas, quas in historijs est legere, nuptias Landishuti cum Casimiri Poloniæ Regis filia Hedwiga, Alberti II. Cæsar's Nepte. Enituit idem singularis virtus Christophori Ducis Bavariae. Testis Matrimonij fuit Imperator Fridericus cùm Maximiliano filio, aliisque Imperij Principibus & Episcopis D. Adlsreitter *Annal. Bavariae part. 2. lib. 9. n. 27.* Ad Matrimonium requiritur de substantia Parochus & duo testes post Concil. Tridentinum. *sess. 24. de reformat. cap. 1.* Metus injuste incusus & gravis irritat Matrimonium, non tamen Sponsalia de futuro. *Can. inter cetera. 22. q. 4. cap. veniens de Sponsalib.*

V I.

THeodo. III. Dux Bavariae circa annum 626. magnò desideriò Ratisbonæ, quæ tunc Ducum Regia erat, à lancio Ruperto primus Baptismum, & Religionem suscepit. D. Adlsreitter, *Annal. Bavariæ part. 1. lib. 6. n. 25.* In Bavaria præter Religionem Romano-Catholicam nulla, in Romano-Germanico Imperio verò præter eam etiam Augustana Confessio, & Calvinistarum seu Reformatorum hodie recepta est. Pax Religiol. *de anno 1555. §. 15. & 16.* Instrument. Pacis. Monasteriens. *art. 7.* Olendenburg. *Colleg. jur. publ. part. 2. discurs. 22.* Concordia inter has optanda, & speranda, si Imperatori Justiniano, & cum eo Primæ assentiatm. Joan. Fickler. *in sua Theol. Jurid.*

V II.

OTho Rex Hungariae, & Princeps Bavariae anno 1311. præsentibus & consentientibus Othono, & Henrico Ducibus Bavariae suis Statibus Provincialibus Jurisdictionem Bassam concessit; cùm verò hæc concessio ad prædia singularia Nobilium in Præfecturis Electoralibus sita non porrigeretur, ea anno 1557. ab Alberto Duce eatenus extensa fuit. Atque ista extensio dicitur in Bavaria die *Edlmans Freyheit. Freyheits-Brieff.* 1. & 60. testamen-
tum

tum potest apud omnem Judicem, qui Jurisdictione hac bassa praeditus est, ad Acta fieri, sed non per procurarorem. Moller. Semestr. lib. 1. cap. 5. Si hæreditatem petivisti ex testamento, & succumbens postea ex Codicillo petere velis, actum agis. L. fin. s. 1. &c. 2. Cod. de Codicill.

VIII.

Albertus & Wolfgangus Duces Bavariæ circa annum 1507. habito priùs cùm Statibus, & communicato consilio, in Principatu Jus Primogeniturae introduxerunt, approbante Cælare. D. Adlsreitter. Annal. Bavar. part. 2. lib. 9. n. 97. Quot Rex vel Princeps talis relinquit Filios, tot inde promanant Primogeniturae, ex quibus prior Linea, donec durat, succedit, eaque absumptâ vocatur secunda, ac ita reliquæ deinceps. Et sic Masculo in primogenitia Linea deficiente, non Propinquior Superstes ex tertio geniti surrogatur Stirpe, sed Regnum, vel Principatus defertur ad eum, in altera, qui ejusdem Gentis stirpe gradu antecedit, uno licet sit geniculo vel pluribus remotior. Belold. de success. que Regni fit jur. dissert. 9. n. 2.

IX.

Dux Guilielmus Bavariae Princeps circa annum 1583. perfecit certos cum Reverendissimis Dominis Ordinarijs Bavariae, Authoritate Nuntij Apostolici Feliciani circa Ecclesiastica articulos. Hæc Concordata etiam Juris Professor D. Lagus competenti cum Du-calibus Consiliarijs loco subscriptis. D. Hund. in Metropol. Salisburgensi pag. 93. In Bavaria circa Ecclesiastica debentur multa Principibus partim ex antiquissima, & partim ex Gallia traducta consuetudine, & jure Advocatæ. Prænob. D. Doct. Bassus Cent. 2. Controvers. 16. 17. 18. Sam circa tempora Caroli Magni, & Leonis III. summi Pontificis, imò ante cœperunt in Bavaria Episcopatus erigi, de qua re vide Hund. cit. Metropol. Salisburgensi. Fribingensi &c. libertalitate Ducum Bavariae. tom. 1. pag. 2. 101. 183. 285. Ordinatus per virum & metum validè ordinatur, non tamen prohibetur uxorem ducere. Barbol. votor. decis. lib. 3. vot. 77.

X.

Ludovicus Dives dictus Bavariae Princeps circa annum 1459. ex Vienensi Academia cum hujus Schole omnibus privilegijs Autoritate debita hac in re requisita & adhibita Universitatem Ingolstadiensem erexit: & circa annum 1472. solemniter publicavit.

Rottmar. *Annal. Univers. part. 1. pag. 38. & 47.* Censetur hæc
Universitas ex Origine sua magis Clerica, quam Laica, ma-
gis Corpus Ecclesiasticum, quam Laicale. Soner. *de fôro*
compet. cap. 6 n. 126. Jurisdictionem habet in omnes Scholares, &
subditos Academicos. Habet etiam Criminalem ex Decreto de an-
no 1605. Septembbris 12. An hæc spectato jure communi competit
Academijs? in negativam propendemus cùm Jacob. Wilenbach.
ad L. 36. Thes. 9. ff. de V. S.

X I.

Maximilianus II. Bavariae Princeps potentissimus, postquam cir-
ca annum 1620. propè Pragam Fridericum Palatinum glorio-
fissimè devicit, jus Electoratus, quo per Iniuriam vel errorem Do-
mus Bavaria longo tempore tunc carebat Geewold. *de Elect. Ba-*
var. propter ingentia sua merita denuò jure postliminij authoritate
Ferdinandij II. anno 1623. reduxit in Domum suam, Liberos suos,
totamque Lineam Guilhelmianam. Instrument. pacis. Westpha-
licæ. art. 4. Oldenburg. part. 1. discurs. 24. memb. 1. & 2. Prin-
ceps suis legibus quæ talibus neque tenetur directivæ. neque coa-
ctivæ. L. Princeps. ff. de legib.

X I I.

BOIJ semper habuerunt suas peculiares Leges, & à potiori sequen-
tes, nempe antiquitus librum vocatum das recht Huech/cujus
Autores fuerunt quatuor filij Imperatoris Ludovic. V. seu IV. de-
inde constitutiones & ordinationes varias Alberti & Guilielmi. &c.
Hæc jura plenissimè restituit Maximilianus, II. Elector & Princeps
Bavaria anno 1616 & ordinavit hodierna Jura Bavaria. Landrecht
Pollicey / Gerichts: Malefitz vnd andere Ordnungen der
Fürstenthümber Obern vnd Uidern Bayrn. Supervenit Fer-
dinandus Princeps, & edidit in conservationem Nobilitatis Bava-
ricæ Sanctionem Pragmaticam de anno 1672. Aprilis 20. Contro-
verti posset etiamnum hodie quoad Jura Bavaria, an habens preca-
rium alteratum ein veränlate Freyheit / oder Herigonst / sit
Emphyteuta & habeat jus in re? Negabimus Dilputationis gratiâ.

F I N I S.

Prænibili Domino

FRANCISCO XAVERIO JOSEPHO
UNERTL, J. U. Candidato,

De Immunitate Ecclesiastica Differenti.

Jure certandum est, ubi Jure possis.
Sudet & Justam celerare pugnam
Æqua, quam fuso tueare promptus,
Causa, cruento.

Quippeni certes? tibi sacra pugnam
Numinis suadent veneranda Tecta.
Ipsamet prostant velut ad bravium, &
Arma laceſſunt.

Ad suum leges vocitant asylum,
Quod tuo credunt clypeo regendum.
Hoc ab adversis, Pugil erudite,
Protege telis.

Sed nec infestas metuas sagittas:
Namque, si pugnae sacræ sunt bravium
Ibit, & certum comes ad triumphum,
Qui præxit autor.

Honoris ergò accinit

Franciscus Ferdinandus Kinsky,
S. R. I. Comes de Chinitz & Tettau

Prænibili, ac Generoso Domino
Defendenti &c.

Dum Mars cruento frendet acinace,
Et fulminanti Pallas in Ægide
Armata bellat, laureasque
Teutonicis metit è Triumphis.

Tu litteratæ Palladi's Aſiecla
Nunc incruentam necis adoream;
Nec Marte bellator, ſed Arte
Sacra ſtruis Themidi trophae
Hic perge, quo Te fata Deum vocant;
Excella quo Te destinat Indoles,
Natūmque magnis Pectus ausis,
Et meritas geminato palmas.
Sic, quod lagati Cusipide milites,
Sagacis acri mentis acumine
Tuere jus, & fas! togatus
Pro Patria, populoque certa!
Honoris ergo accinit

Ferdinandus Andreas Josephus L. B.
de Wifer, Dominus in Aldenbamberg,
& Zwingenberg, &c.

Eidem Prænibili Domino Defendenti.

Quid? Principalis Statua sit Segeſ belli?
Num déque, num ſic ſulque lubruiſ Jura
Juris Sacerdos? anne potius hanc alia
Paciſ quietiſque otiique decernunt
Manere Sedem Jura? Sed benè eſt; Fixum
Stat fortibus conſerre fortiter dextras;
Nec fit Leonis prælio ſatur Virtus
Socorde: Sic te Patriæ Leo Bojuſ
Pugnare, ſic te Belgicus Leo poſcit.
I, perge: dabitur certa pax triumphanti
Corona pugnæ, merita ſepiuſ tantum,
Monſtrata pensans. Lentus at tace Scazon
Impar volanti Flandriæ in Caput laudi.

Ita singulariſ Amicitiæ, venerationiſ & Plu-
rimorum tituloruſ ergo
accinit

Josephus Matthias Franciscus
ab Olwald in Aufhoven, J. U. Studioſus.

Eidem Prænobili Domino Defendentii

Ode Gratulatoria.

Ela! Surge, quid moraris?
Surge Musa, summe plectra;
Tange chordas, & serenam
Summe frontem, liberales

Funde plausus, jubilosque, prædicens Xaverium;
In patentem jam palæstram
Prodit, ardet dimicare,
Ingeniique vim probare,
Audet unus ipse plures

Viribuscque præpotentes provocare Bartolos:
Classicum jam bella poscit,
Pugna fervet, hostis urget,
Pervolant, strepuntque tela,
Tela scuto sed repellit,

Utque telis tela reddat, promptus est ac impiger.
Jámque vincit gloriosus,
Et triumphat, literata
Quotquot adsunt in Palæstra;
Gratulantur Ore læto,

Destinántque Martialem in triumphum lauream.
Ergo Musa plectra summe,
Laureámque gratulare,
Aut tacendo te fatere,
Imparem cæpto, novique
Prædicandis te fatere Bartoli præconijs.

*Ita Honoris & peculiaris amoris ergò applaudit ac
gratulatur.*

Maximilianus Franciscus Erasmus
Udalricus Ridler, de & in Joanskirchen
J. U. Studioſus.

Eidem

PAx nulla terris. Undique Prælia :
Turbata Pallas milite perdidit
Inter tumultus turpè librum
Et Calamum. An calamo librōque

Ceu Ense bellat ? pugnat in æmula
Sacratoris Palladis area
Extemporali lite Victor
Non sceleri referare Asyla.

Inserta docti Candida syllabo
Francisce Martis Nomina gratulor,
Hac namque Tritonis palestra
Innumeros referes triumphos.

Sudata multo Sole scientia
Virtusque magnis empta laboribus
Pugnam corônant , dum potentem
Jura ferunt geminata peltam.

*Ita debita observantie & honoris
ergò precatur*

Franciscus Xaverius Josephus Gugler ,
in Zeillhoven , J. U. Studiofus.

*Ad Prænobilem & Doctissimum Dominum
Defendentem.*

Theses ex utrōque Jure sub ipsum statim anni
autipium propugnantem.

Vix adimpleta redit annus urna
Palladis lacram vigil in palæstram
Surgis , an ipsum cupis ante cusu
Vertere solem ?

Dum

Dum riget pigro glacialis orbe
Terra stagnanti tepefacta motu
Te Triumphantis generosus urit
Nominis ardor.

Dum quietentum tacitus Sororum
Coetus hybernat, meditaris arma.
Nunquid hac pulchros alijs triumphos
Præripis arte?

Anne fors ipsum gelidi *bifrontem*.
Praesidem Mensis socia lacefiss
Lite, quâ Victo *celebrem* prehendas

Numine *clavim*.

Quâ profanatam referare Pacem
Quâ potes Sævum cohibere Martem
Quin & hanc dudum Vigilavit *Haga*
Cernere clavim.

En novæ Virtus rediviva Pugnæ,
Venit, & Vedit, simul atque Vicit.
Quæque conflictum dedit hora, Vedit.

Hora triumphum.

Dum Theatrali geminata plausu
Jura defensas, humeris severæ
Principum Curæ, Bavarusque dorso im-
Ponitur orbis.

Ita Honoris & debite observantia
ergò

aggratulatur

Fr. Gelasius Hieber. Ordinis Eremie.
S. Augustini SS. Theol. & SS. Can.
Studiolus,

Eidem Prænobili Domino Defendent.

Bis quater ætheretum vix Sol gyrauerat orbem,
Jam novus à Superis Triboniane redit.
Bruxellis reducem vix te spectaverat Ister,
Auspice jam rufus Pallade Victor abis.
I, Propera Syrijs redimitus tempora fertis
Ardua quæ gemini jura tulere fori.
I, Propera, prope rando etenim tua gloria crescat:
Ipse comes Comitum te comitabor Hagam.
Hæc quoque præteritis Francisce appende trophæis,
Quæ dederant meritis justa Theatra tuis.
Nemipe secuturis erat hoc præludere factis,
Sic lacerat geminas Herculis ira boas
Sed fatis est. Tacito Regina Modestia vultu
Obducit medijs vela pudica genis.
Nam tibi virtutes, an tu virrutibus addas
Nescio. Fronte potest, sis quid, aperte legi.

ita accinit

Devotissimus Capellanus

Antonius Felix Mayr, J. U. Candidatus.

